

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv**

**Bernhold, Johann Balthasar  
Schifflin, Johann Sigismund**

**Altorfii, [1730]**

§XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

periculum subeat. Scripturae sensibus hinc illinc diffitis, uerbisque amplis et laxis, lasciuie nouaturientes homines et irreligiosos nouarum sententiarum et uocum aucupatores facile posse abuti, quaeuis, ne prima quidem excepta, testatur Ecclesiae periodus; cui malo ut obex ponatur, remediumque quaeratur, e re Ecclesiae est, ut formula fidei, sententias Scripturae sparsas, in unam summam plene et perspicue colligat, laxiores eiusdem phrasas apte & uere determinet. [B. DORSCHER *uerba anneximus ex citatione B. WERNSDORFFII l. c. p. 498. Et si symbolorum uerba non clariora sunt uerbo DEI, sunt tamen corruptelis auertendis et euertendis propius accommodata.*]

#### §. XIV.

Speciali.

Generalium pro formularum fidei Iustitia in sensu permissiuo e singularissima Christianae Ecclesiae constitutione adductorum argumentorum agmen claudant specialia e Scripturae S. dictis hausta. Compendio cum studeamus, nonnulla tantum in medium afferamus. In formulis fidei tres potissimum partes considerandae ueniunt. Primo enim sunt uerae Ecclesiae publicae fidei confessiones; dein e Scriptura S. uera religionis dogmata plene, compendiarie tamen, perspicue & apte explicantur in iis & extruuntur; denique in exemplum & regulam doctrinae proponuntur & unionis ergo iniunguntur. Publicas uerae doctrinae

imo.

posse existere confessiones probatur ex 1. Petri III. 15. ἑτοιμοὶ θεοῦ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαὶ παντὶ τῷ αἰτῶντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, μετὰ πραύτητος καὶ φόβου συνείδησιν ἔχοντες ὀρθοῶς. E quo Petri loco argumentum pro iustitia formularum fidei necimus a minus ad magis concludens, a specie ad genus: A confessione nimirum fidei cuiuslibet priuato iniuncta, ad Iustitiam confessionis fidei a toto coetu edendam; a confessione spei uitae aeternae, ad confessionem reliquorum dogmatum ad aeternam salutem spectantium. Nihil uel obscuritatis uel difficultatis

cultatis hic deprehendimus, quare ad alterum, quod in fidei formulis occurrit, membrum, dictis S. Scripturae probandum delabimur.

§. XV.

E praecepto Pauli ad Timotheum scripto II. Tim. I. 13. *ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαίνοντων λόγων, ἧν παρ' ἐμῶ ἡκυσσε ἐν πίσει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* hanc *ὑποτύπωσιν* et alio loco Rom. VI. 17. appellat *τύπον διδασχῆς*. iniungit ei hisce uerbis, ut ex uniuersa Christi doctrina, quam ore haecenus tradidit, et scripto iam denuo explicat, quae *πίσει καὶ ἀγάπῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* absoluitur, colligat et exstruat *ὑποτύπωσιν*, ideam, formam, quae plene, perspicue, summatim tamen & uno quasi conspectu I. C. doctrinam aptissimo ordine inuicem colligatam exhibeat, exacteque referat illam tanquam exemplum, *εἰκόνα καὶ ἀρχέτυπον*, cuius ipsa est *τύπος*; uno uerbo ut *πίσει* sit *ἀνάλογος*; at non tantum qua res, sed et uerba; dicitur enim *ὑποτύπωσις ὑγιαίνοντων λόγων*, non modo *διδασχῆ*, sed *τύπος διδασχῆς*, sub quo et *τρόπος παιδείας* utique comprehenditur. Quam sanioris doctrinae *σύναψιν* et delineationem Timotheum iubet *ἔχειν*, habere, *ἔξει*, habitu, e Sacrae Scripturae diligenti meditatione iuuante Spiritus S. gratia, quae in ipso erat, acquisito; *σύστημα* diuinarum ueritatum plenum, compendiarium tamen et iusto connexum ordine animo tenere; ut sic tanquam episcopus et *ἄνθρωπος ἁ Θεῷ ἐξηρησμένος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθόν* sit. Nostrae expositioni *ὁμοψήφως* citat BERNH. VON SANDEN in *Diss. Th. de forma sanorum uerborum etc.* §. VII. CHRYSOSTOMVM et HIERONYMVVM. Ille enim *ὑποτύπωσιν* hanc uocat *κανόνα καὶ ἀρχέτυπον καὶ ὄρει*; *ὄρει* autem uocantur definitiones apud Philosophum, cum primis illae, quae breuibus et paucis uerbis *τὸ τί ἦν εἶναι* siue essentiam rei explicant. HIERONYMVVS ita scribit in haec nostra: *secundum meam formam uiue & doce, quam a me breuiter accepisti.*

H. S.

C

cepiſti.